regrinis promontorium civitati imminens ascendi ad capellam S. Nicolai, quae in ejus cacumine est, et ibi invocato Sancto longe lateque per maria circumspeximus usque ad partes Italiae contra Apuliam, in qua corpus S. Nicolai quiescit in civitate Bariensi, quod 70 audaces milites Christiani per medium Turcorum irruentes in Myrream tulerunt de tumba et in Barium transtulerunt, ubi hodie dicunt de ejus membris desudare oleum.

Post visa loca descendimus per arbusta et vineta, ficeta et oliveta delectabilissima, nam quidquid ibi propria sponte crescit, nobile est et aramatico odore redolet. Extra hortos totus mons plenus erat rosmarino et magni frutices (**199 a**) ejus et alti quasi silvam clivum constituunt. Est autem frutex rosmarini medius inter arbores et herbas, numquam tamen vidi proceriores frutices ejus, quam ibi, folia habet simillima lavandulae, longiora tamen et grossiora, habentia odorem thuris, flosculos habet valde suaves, et tam folia quam flores et radix sunt medicinalia multipliciter. In brevibus annis delati sunt hi frutices in Alemanniam, sed non possunt sustinere nostrum asperum frigus, ideo in hieme in cacabis reponuntur ad cellaria calida etc. Dicitur autem rosmarinus, quia de maritimis regionibus tollitur. Aliae herbae omnes odoriferae erant illius montis.

Iuxta mare in plano erat quasi silva de fruticibus agnicasti, quae nobilissima plantula est marina, usui medicinae competunt folia et flores, et habet folia quasi salix, unde ab aliquibus salix marina dicitur. De hoc dicit Isaac physicus: agnicasti proprietas est, libidinem defaecare, concupiscentiam mortificare, inflammationem aufert, sperma siccat. Duae autem sunt ejus species, una cum flore purpureo, altera cum albo. Folia habet salici vel olivae aequalia, molliora tamen, semen quoque tamquam piper virtutisque ferventis. Lectus ex eo stratus serpentes arcet longius et libidinem reprimit, et fumigatio ejus idem facit, et vinum potatum, in quo semen ejus est impositum. Unde antiqui deorum sacerdotes ad continentiam servandam agnocasto struebant sibi, et matronae castae Romanorum in absentia virorum idem faciebant, et omnes virgines vestales sub lectis suis agnicasti frutices habebant. De hoc etiam superius mentionem feci P. 1. Fol. 60 A.

A Lesina autem recedentes longius in Crawatiam venimus regionem et in solis occubitu a latitudine maris contra montana

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;